



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Hierosolymitano Patriarchae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

tanquam diocesano suo de ceteris re-
pondere cogantur. Quòd si omnes &c.
Datum Laterani X. Kalend. Ianuarij.

ACCONEN. EPISCOPO.

Sicut nobis est ex tua parte proposi-
tum, quidam Clericus cum ægri-
tudine nimia laboraret, quasi de morte
securus, & de recuperanda sospitate des-
perans, habitum Canonicorum regula-
rium petiit, & accepit, ea in susceptione
habitus exprimens ac promittens quæ
solent in huiusmodi re promitti. sed nec
ad Ecclesiam transit, utpote infirmitate
gravatus, nec bonis suis uti cessavit. Post-
modum verò sospitate recepta, post *XV.
annos & ultra, videntibus & scientibus
venerabili fratre nostro Archiepiscopo
& dilecto filio Priore & Canonicis Eccle-
siæ Nazarenis, à quibus habitum susce-
perat regularem, tu, licet eo tempore
quo habitum susceperat in Ecclesia Na-
zaren. Prioris sollicitudinem exerce-
res, immemor eorum quæ facta fuerant cir-
ca ipsum, in Acconen. eum Canonicum
suscepisti. Quia verò quid super hoc fa-
cere debeas, per nostras postulas literas
edoceri, fraternitati tuæ duximus res-
pondendum quòd si regularem habitum
se postulante suscepit, & ad observatio-
nem religionis canonicæ sua se professio-
ne ligavit, ad resumendum habitum ec-
clesiasticum est districtione cogendus, cum
quòd tanto tempore extra canonicam
mansit, non in excusationem ejus, sed in
majoris transgressionis augmentum me-
rito valeat allegari. Datum ut supra.

HIEROSOLYMITANO
Patriarchæ.

Tacti sumus dolore cordis intrin-
secus, & medullas etiam doloris
immesitas penetravit, certis indiciis
agnoscentes quòd laici, Clerici, subditi,
& Prælati, & tu ipse adhuc in vos ac
transmarinam provinciam immo etiam
totum populum Christianum ultionem
Domini odio, malevolentia, & detra-
ctionibus assiduis provocatis, quem po-
tius orationibus, vigiliis, jejuniis, &
aliis operibus caritatis, quantum in vo-
bis esset, deberetis ad misericordiam in-
clinare. Super quo tibi tanto fortius con-
dolemus, quanto subiectos tibi populos
ad viam rectitudinis verbo invitare de-
bueras & exemplo, non doctrinam con-
trariam sermone vel facto eorum oculis

vel auribus instillare. Recepimus enim
literas illas quas in derogationem fa-
mæ venerabilis fratris nostri Tyren. Epif-
copi edere ac in quibus personam ipsius
turpiter depingere voluisti, quia non ex-
petita à te licentia navigarat in Cyprum.
Sicut autem ex tenore literarum illarum
perpendimus, cum idem Archiepiscopus
navigasset in Cyprum, & cariss. in Chri-
sto filium nostrum Aimericum tunc Cy-
pri Regem illustrem ad cariss. in Christo
filia nostra Hierosolymitanæ Regina
conjugium & Hierosolymitani regni re-
gimen de consilio & voluntate ferè to-
tius Christiani exercitus evocasset, ut
eorum matrimonium impedires, affini-
tatis & incestus impedimentum, serò ta-
men, objiciens, consentire in ejus copu-
lam noluisti, postmodum verò volunta-
te mutata eos in Regem & Reginam co-
ronasti conjunctos. in quo te tibi contra-
rium fuisse dolemus, & vel malè prius
contradixisse convincimus, vel malè
postmodum consensisse. Super quibus
cum veritas nobis plenius innotuerit,
contra te non poterimus non moveri,
immo etiam statuere quod jus exegerit
statuendum. Datum ut supra.

FVLCONI ABBATI
Corbeien.

AD hoc in Ecclesia Dei visibilis est
sacramentorum species instituta,
ut per exteriora quæ cernimus, ad inter-
iora quæ intelligimus transmittamus.
Inter ceteros siquidem sacramentales
ornatus, Prælati Ecclesiarum concedi-
tur annulus, qui est signaculum fidei, jux-
ta quod pater filio revertenti dari annu-
lum in manu præcepit, ut videlicet Ec-
clesiam sibi commissam Prælatus ipse
intemerata fide custodiat, ad quam fide-
liter observandam per visibilem speciem
jugiter admonetur. Cum igitur monaste-
rium Corbeien. quod ad Ro. Ecclesiam
nullo respicit mediante, sincera diliga-
mus in Domino caritate, volentes ipsum
in te alicujus dignitatis privilegio deco-
rare, ut & Ecclesiæ Ro. magis existas ob-
noxius & devotus, & fortius & efficacius
regimini commissi tibi monasterij debeas
imminere, usum tibi annuli de benignita-
te sedis apostolicæ indulgemus. Nulli er-
go &c. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij.

Epif. 99.
Conceditur
usus annuli.

335 486

Pp

Epif. 97.
Ve professus re-
ligionem, cam
ingredi & ser-
vare compella-
tur.
Cap. Sicut no-
bis. De regula-
rius.

* In Tertia Col-
lit. XX.

Epif. 98.
Illum officij
sit pie admo-
net, & propter
sua delicta in
ipsum iure ani-
madversum
significat.
Vide supra epif.
97.